

SOCIETAS ROMANA EDITRIX

ROMA - Via delle Coppelle, 35 - ROMA

quae proprietatem habet Italici diarii "Corriere d'Italia",
et menstrui commentarii "VOX URBIS", quaelibet
opera edenda suscipit.

Diligentia in opere - Temperantia in pretio

MONITUM

Operculi paginae commentarii VOX URBIS ad nuncia
officinarum, librorum, artificum evulganda, apta maxime
sunt, quod commentarius ipse per universas orbis regiones
latissime diffunditur.

Requirantur pretii prospectus
a SOCIETATE ROMANA EDITRICE

Roma - Via delle Coppelle, 35 - Roma

Ann. XIII.

ROMAE, Mense Septembri MCMX

Num. IX.

VOX VRBIS.

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

CONDIDIT ARISTIDES LEONORI EQUES

POSSIDET ATQUE ADMINISTRAT SOCIETAS ROMANA EDITRIX

Premium annuae subnotationis, est:


In Italia: Libellarum **6**

ubique extra Italiam: Lib. **9** (Doll. **1,80**; Sch. **7**; M. **7**; Rubl. **4**; Coron. **9**)

ante solvendum et recto tramite mittendum

ad SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA - Via delle Coppelle, 35 - ROMA



SUBNOTATIO EXTRA ITALIAM FIERI POTEST:

IN RUSSIA

apud
Gebethner et Wolf

Varsaviae Polonorum
Rakowskie Przedmiescie, 15

IN ANGLIA

apud
"Kronika Rodzinna.."

Varsaviae Polonorum
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CANADA

apud
Burns and Oates

London W.
28, Orchard Street.

apud
Librairie Granger Frères

Montreal
1699, Rue Notre-Dame

“CORRIERE D’ITALIA”

Diarium Romanum negotia pertractans quae ad res civiles,
religionem, commercia spectant.

Catholicorum diariorum omnium in Italia maxime diffusum.

Noticias quotidie sibi proprias accipit tum ex Italia, pro
cuius provinciis peculiares, quotidie pariter, vulgar
editiones, tum e praecipuis civitatibus orbis universi.

Premium annuae subnotationis est:

In Italia lib. 15; apud exteris gentes lib. 30.

Subnotatio cumulativa cum commentario VOX URBIS:

In Italia libel. 18; ubique extra Italiam lib. 34,50.

Subnotationes mittantur
ad SOCIETATEM ROMANAM EDITRICEM

ROMA — Via delle Coppelle 35, — ROMA

Ann. XIII.

ROMAE, Mense Septembri MCMX

Num. IX.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De Syllabi Pii Papae X propositione LVI.
De conditionibus quibus latinae disciplinae perceptio continetur.
De re litteraria apud Subalpinos. De poesi lyrica (Dominicus Capellina - Joseph Bertoldi - Joseph Regaldi - Constantinus Nigra).
Iam redundat horreum!
Colloquia latina. De sacra Synaxi.
Paroemiae sive adagia: Mustelam habere.
S. Petri primatus de praerogativa ex archaeologae testimonis.
Acta Pontificia: De inreverendo conceptis verbis dando ab iis qui Doctores in Scriptura Saera renunciandi sunt. — Motu proprio - Littrae Apostolicae.
Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae se-

lectae: Ex Congregatione Consistoriali — Ex Congregatione Rituum — Ex Congregatione de Sacramentis.
Diarium Vaticanum.
Annales. — Novum inter Balkanicos populos regnum constitutum — Astrorum Hungarorumque gaudium — Cretensis quaestio — Ex Iaponia — In inferiore America.
Per orbem.
librorum recensio. (G. Bonomelli, — A. Garneri).
libri recente donec accepti.
loci.
Epistolarum commercium.
Aenigmata.
Appendix: Arrae Gorgonae.

De Syllabi Pii Papae X propositione LVI.

Pius Papa X (Encycl. *Pascendi*, 7 Sept. 1907) sapienter circa Modernistas scribit: « Tria sunt potissimum quae suis illi conatibus adversari sentiunt: scholastica philosophandi methodus, Patrum auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum... Ipsius ecclesiastici magisterii auctoritatem toto studio minuere atque infirmare conantur, tum eius originem, naturam, iura sacrilege pervertendo, tum contra illam adversariorum calumnias libere ingeminando ». Contra ecclesiastici magisterii auctoritatem militat propositio 56^a Syllabi, ab eodem Pontifice (4 Iuli 1907) damnata: « Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est ».

Quaestio de origine divina Ecclesiae romanae primatus supra alias ecclesias, a quaestione de S. Petri advento ac morte in Urbe dependet; ita si S. Petrus Romanum petit ibique diem supremum obiit, nonnisi divino consilio hoc factum fuit, primatus Romani Pontificis non iam ex politicis conditionibus, sed divina dispositione ortus est. Audiantur Protestantes scriptores (1): « Si Apostolorum Princeps in Urbe aeterna aliquando fuit, tunc certum est, ipsum hoc fecisse, non tanquam simplicem viatorem, sed ex apostolicae potestatis plenitudine, ita ut martyrium eius sub Nerone, nonnisi gloriosa consummatio eorum quae inter Romanos operatus est, sit... Romanus episcopatus, in pote-

(1) *Jahrbücher für prot. Theol.* (Leipzig 1876) p. 562. — « Se non è vero (S. Pietro) in nessun modo, né è morto nella città eterna... il primo posteriormente innegabile dei Vescovi romani sulla Chiesa sarà un’usurpazione, o, per usare una frase più benigna e più scientifica, una formazione storica ». Ita Modernus quidam.

state Petro collata semper fundabitur... Propter hoc, facile intelligitur, quare antiqui protestantes historici, omnibus viribus conati sint, fundamentum supra quod superbum dominationis Ecclesiae romanae aedificium fundatur, removere ».

Ad praedictam igitur propositionem reiiciendam, enumeratis prius erroribus, sufficiens erit ostendere, tum *ex factis*, tum ex recentiorum historicorum auctoritate, S. Petrum Romanum venisse, ibique diem obiisse superum.

* *

Roma - inquit Renan (1) - quotidie Christianismi caput magis ac magis fiebat, atque loco Ierusalem, veluti centrum religionis humanitatis « *Civitas sancta* » successit... Retinebatur communiter romanam Ecclesiam a Petro fundatam fuisse, Ipsique primatum, quem Apostolus a Christo receperat esse transmissum... Simulque nonnisi dexteritate quadam romana Ecclesia remansit. Petri ac Pauli reconciliatio supremum futurum romanæ Ecclesiae dominium fundavit... Causæ vero materiales nonnullæ multum contulerunt, ut a ceteris Ecclesiis tale dominium recognosceretur. Videlicet, cum Ecclesia romana divitiis afflueret, cumque bona eiusdem summa cura administrarentur, factum est, ut divitiae huiusmodi, ad aliarum Ecclesiarum auxilium diffusionemque conservarentur. Communis Christianismi thesaurus Romae exstitit, Romanaeque Ecclesiae unica intentio fuit « *regere et gubernare* » atque ad finem hunc omnia media adhibere. In consiliando romana Ecclesia *politica arte* usa est, et *ars politica* non abhorret a fraude. Ecclesiae romanae munus fuit non iam doctrinarum speculatio vel puritas, non dogmata, sed disciplina; Ipsa catholicismus fundavit; atque expressio illa « *Ecclesia catholica* » Romae prima vice auditæ est.

(1) *Mare Aureli*, chap. 5.

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. VII).

(7)

— Quos vidisti, quot vidisti hostes — rogavit Caecilius extemplo — quum heic prima nocte iter faceres?

— Nullum vidi, imperator; at sagittas in me coniectas, ut dixi, multas sensi, quarum ex altera equum necatum rettuli.

— Ecquomodo iam — ad quemdam conversus, qui ad laevam equitabat, subdit Caecilius — ecquomodo tu, Cossa, tuique equites nullum, praeeentes, vidistis?

— Nullum vidimus, nihil audivimus, neque sagittae stridor ullibi reprehensus est. Ceterum ipsi Germani, qui praeiverant omnibus, si aliter res esset, nunciantes rediissent: atqui nemo rediit....

— Nemo; ita est; nemo rediit!... — fremens legatus ac veluti vix iram contineret, gladii capulum pugno percutiens, — Nemo! At, mehercle, peiore auspicio nunquam iniissemus iter, quam gorgoniis illis donis a te nuncio delatis.

— Et insanientes potius Apollinis fato — ita Cossa ille praefectus alae subridens — qui tam mali ominis concii, nec Martem nec Mercurium expiavimus.

Tum legatus: — Victima si Mars eget, caput hoc meum libens ei sacro, dummodo legionibus parcat. Quas enim Varo, quas Caesari copias reddam?

— Lugubria desine auspicari, — haec aliis ex comitatu, iuvenis admodum tribunus. — Suspicie potius: acta iam nox est, atque demirare, quam lucidi primi aurorae rubores caelum incendant».

— Acta iam nox? — ita Cossa vicissim — ecquo modo igitur quum nec duabus adhuc horis me equitasse dixerim?

Sed lux splendebat reapse: post iuga, post montem rubescens lata caeli zona, illustrabat aerem; pallescebat stellae non tam vivo eius lumine, quam et subfusa etiam nube, cuius caligine obvolutus lucis ortus videbatur. Insolitus tamen erat lucem non ex ea caeli parte diffundi, unde, si acti illuc usque itineris bene Atilius recordabatur, solem oriri oportebat. Haec dum haerenti animo ille cogitat, dumque comitatus ducis pariter incertus demiratur, fusca illa nubes paullatim succrescit, nigricat magis magisque, atra denique fit, ventoque crescente inflata caeli magnam plagam operit. Addebatur his et augebatur pariter strepitus quidam longinquus sane, sed ingens, sed vastus, veluti immensi eiusdem rogi, qui paullatim comburentibus lignis undique crepitaret. Hoc sensim aucto atque magis magisque insonante, attoniti alias alium legatus, tribuni, magistri alarum conspexerunt invicem, eamdemque omnibus esse suspitionem compererunt.

Nulla mora: calcariis admotis in cursum equos incitant; Atilius turmam tribunorum per media velutum agmina sequitur. Velites eodem visu et ipsi commoti, atque de insolita re attoniti saxosam vallem post prae-currentes calcant citissimo pede, dum omnes ventus affat densus magis, caliginem olens et incendum.

Equites tandem primi per devium iter dextrorum

conversi in vallis fauces simul proruperunt, atque repente hirtis erinibus, erectis auribus ipsi equi frenentes constitere.

Immanis rogus locum implebat omnem tam latus, vastus et horridus, ad quem nec Vulcanus ipse accedere auderet. Silva omnis, qua planities late densa erat, igneus veluti locus facta; arborum trunci candentes quasi carbones immenso in cibano videbantur, ex adustis ramis ex multitudine frondium strepentes, crepitantes, prosilientes simul in cinerem favillae sine numero per altissimas flammas eructabantur; flammae autem, quas neque Trojanum incendium aequasset, linguis infinitis vibrabant, easque supra circumque atra atque teretima fumi nubes obvolvebat undique.

Dum duces et primi milites obstupescentes horridum prodigium contemplantur, concurrebant interea seseque ad ostium vallis nova semper agmina stipabant, vastumque incendium mille iam vultus rubore novo pingebat pavoris plenos atque irae. At nulla audacia nullaque amentia quemquam iuvaret; transire enim per inmanem rogam vivus poterat nemo.

— Proditor adest!... Barbarorum insidiae sunt!... Nulla salus!...

Haec clamabant certatim milites, qui, nocturna quiete expergefacti, asperrimoque itinere fatigati, hue tandem pervenerant, ut sese in ignem darent. Incendii enim nullus adspiciebatur terminus; nam, post primos truncos in limine silvae iam absumptos atque prostratos, alios aliasque, veluti densissimas faces, per rubram latamque fornacem vix oculus intueri poterat, qui tantum splendorem sustineret.

Caecilius tandem inter ruborem magnum, insignis purpurea crista, rubraque magis chlamyde, equum ad suos vertit, hisque brevi adloquitus est:

— Varus legatus Caesaris, milites, missa prima nocte nuncio, imperavit ut ad se quam citissime regredemur. Barbari, calliditate aut proditione, concii itineris fuerunt. Nulla modo salus, nisi viam retrorsum petere, atque in apertum instructo agmine exire.

Ululatus ingens clamantium, obsecrantium, legato respondit: attollentes hastas, scutaque vibrantes, Germanis equitibus, adversae fortunae, ipsisque ducibus milites imprecabantur.

Fatale tamen tempus urgebat: laxatis igitur turbatisque ordinibus, coecus veluti fluctus, omnes retrorsum cucurrere. Discurrebant medium per turbam centuriones prohibentes tumultum, ac satagentes ut, quantum licet, ordines servarentur. Hoc modo exercitus omnis per contrarium iter progrediebatur, ac nisi concitati gressus equitum peditumque late sonarent per aspera montium, diuturnum properantium agmen umbrarum aut spectrorum fuga visum esset.

(Ad proximum numerum).

I. A. COSTAGGINI.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

USUM LATINI SERMONIS PER ORBEM UNIVERSUM TUETUR AC FOVET

Itaque, latine omnino exarata, scripta edit, quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentium exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecipuis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas; haec omnia ut quisque vel ex dissitis regionibus, vel cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus alter ab altero difformis per commentarium eundem explere desideria sua possit.

Pretium annuae subnotationis est:

In Italia libellarum 6;

ubique extra Italianam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

ante solvendum et recto tramite mittendum

ad Societatem Editricem Romanam

ROMA - Via delle Coppelle, 35 - ROMA,

quae commentarium possidet nunc atque administrat.

SOCIETAS ROMANA EDITRIX

ROMA - Via delle Coppelle, 35 - ROMA

quae proprietatem habet Italici diarii "Corriere d'Italia",
et menstrui commentarii "VOX URBIS", quaelibet
opera edenda suscipit.

Diligentia in opere - Temperantia in pretio

MONITUM

Operculi paginae commentarii VOX URBIS ad nuncia
officinarum, librorum, artificum evulganda, apta maxime
sunt, quod commentarius ipse per universas orbis regiones
latissime diffunditur.

Requirantur pretii prospectus
a SOCIETATE ROMANA EDITRICE

Roma - Via delle Coppelle, 35 - Roma

Ann. XIII.

ROMAE, Mense Octobri MCMX

Num. X.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

CONDIDIT ARISTIDES LEONORI EQUES

POSSIDET ATQUE ADMINISTRAT SOCIETAS ROMANA EDITRIX

Pretium annuae subnotationis, est:

In Italia: Libellarum **6**

ubique extra Italiam: Lib. **9** (Doll. **1,80**; Sch. **7**; M. **7**; Rubl. **4**; Coron. **9**)

ante solvendum et recto tramite mittendam
ad SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA - Via delle Coppelle, 35 - ROMA

SUBNOTATIO EXTRA ITALIAM FIERI POTEST:

IN RUSSIA

apud
Gebethner et Wolf

Varsaviae Polonorum
Rakiewicze Przedmiescie, 15

IN ANGLIA

apud
"Kronika Rodzinna",

Varsaviae Polonorum
Krakowskie Przedmiescie, 6

IN CANADA

apud
Burns and Oates Librairie Granger Frères

London W.
28, Orchard Street.
Montreal
1699, Rue Notre-Dame